

1. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 17 marzo 2011, Prot. n. 44731/10 CA, Decreto, Rev.da M - Congregazione per gli Istituti di vita consacrata e le Società di vita apostolica, *di escaustrazione imposta*.\*

Decretum excaustrationis impositae die 28 septembris 2010 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae prolatum Rev. dae M, Priorissae Monasterii X in civitate G, praecepit quoque eiusdem comorationem «per cure e riposo, presso il Centro R» donec aliter provideretur.

Instituto die 26 novembris 2010 recur-su apud hoc Supremum Tribunal, Rev. da Priorissa etiam suspensionem actus impugnati petivit.

Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae atque Rev.ma Commissaria Pontificia ad nutum Sanctae Sedis pro Monasterio *de quo* die 12 ianuarii 2011 suam opinionem negativam de suspensione concedenda in casu patefecerunt.

Quibus praehabitis,

*Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal*

Pro comperto habito quod, iuxta communem H. S. T. iurisprudentiam, executionis suspensio ex duobus elementis inter se conexis pendet:

- priore loco, ponderanda est probabilitas decisionis favorabilis relate ad recursum quo actus legitimitas impugnatur, adeo ut quanto maior est illa probabilitas, tanto plus suspensionis concessio urget, et versa vice;

- altero loco, diiudicanda est damnorum irreparabilitas in casu decisionis favorabilis, ita ut quanto plus actus administrativi impugnati exsecutio effectus parit, qui difficulter retraheri poterunt, tanto plus suspensionis concessio urget, et versa vice;

Perpenso quod ex actis quae prostant tam adiuncta quibus exlaustratio in actum redacta est quam praeceptum adiectum, in domo scilicet determinata commorandi, recursum reddunt fumi boni iuris haud expertem, quin tamen de examine assertae violationis legis quidquam inde praeiudicatum sit;

Animadverso quod damna, quae ex actus impugnati exsecutione timentur, irreparabilia videntur, non autem quoad exlaustrationem impositam, sed quoad praeceptum eidem adiectum; nam:

- iam die 4 novembris 2010 Rev.ma Commissaria Pontificia Rev.dam Priorissam monuit de domo non relinquenda cum explicita comminatione subsecuturam dimissionis ab instituto;

- die 23 decembris 2010 Rev.dam Priorissam domum commorationis reliquisse constat;

- ex nuperrima scriptura a Cl.mo Advocato in favorem Rev.dae Priorissae proposita hoc Supremum Tribunal certius fit de altera admonitione de qua in can. 697 data;

Cum proinde periculum habeatur ne in mora Rev.da Priorissa ab instituto dimittatur, quod esset damnum irreparabile;

Vi art. 96 *Legis propriae* H. S. T.;

Re sedulo examini subiecta, in Congressu coram Em.mo Praefecto die 17 martii 2011 habito,

*decrevit:*

*Petitam suspensionem concedendam esse atque facto concedi tantum quoad praeceptum Rev.dae Priorissae datum commorandi apud «Centro R».*

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 martii 2011.

Raimundus Leo Card. BURKE  
*Praefectus*

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.  
*Secretarius*